

ipse *Bellarminus* hanc rejicit sententiam, veluti minus probabilem. Obstant autem duo huic sententiæ. 1. Antiquissimis Patribus Latinis, qui à Judæis accepisse debebant, hæc vox planè est ignota. Videre id est ex *Tertulliano atq; Aliis*. *Ambrosius* primus est; (quod tamen negat *Martinius in Lexic. Philol.*) apud quem vocem eam invenimus, *Epist. 33. ad Marcellinam sororem*. 2. Si vox ista Hebræa fuisset Apostolis in usu, utiq; retinuissent eam & *Græci & Syri*, sicuti retinuerunt alias, e. g. *Amen, Halleluja, Sebaoth, Pascha, Messias, &c.* Hebraica enim Vocabula per Græcos ad nos devenerunt. At verò apud illos nulla fit mentio *Missæ*, sed pro eâ *λειτεργίαν* dicunt, quod publicum notat ministerium. Sic *Syri* non habent *Missam*, sed dicunt *נשוק* sanctum. E. Hebræa non est. Quare non dubitandum est, quin origine sit *Latina dictio*, & quidem à mittendo dicatur *missa* pro *missio*, quomodo *remissa* peccatorum pro *remissione* legitur ap. *Cyprianum Epist. 73.* Sic *defensa* pro *defensio* dicit *Tertull. lib. 2. advers. Marcionem cap. 18.* Et eodem libro